



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Cur sanctorum animæ pro peccatoribus non orent, quando eos in igne  
æterno ardere prospexerint. lxxi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



*Ex dictis  
August.*

**Q**uatuor genera sunt oblationis. Pro valde bonis, gratiarum actiones sunt: hoc est, Deo gratias agunt: quia bene vixerunt. Pro non valde bonis, ut plena remissio fiat. Pro non valde malis propitiationses sunt, ut tolerabilior fiat damnatio. Pro valde malis, non adiumenta mortuorum, sed tantum consolationes viuorum sunt.

*Cur sanctorum animae pro inimicis suis non orent, quando eos in igne aeterno ardere prospexerint. Cap. LXXI.*

*Ex eodē.  
Petr. int.  
Gre. re.*

**E**t ubi est quod sancti sunt, si pro inimicis suis quos tunc ardere viderint, non orabunt? Quibus utique dictum est: pro inimicis vestris orate. Orant pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam poenitentiam eorum corda conuertere, atque ipsa conuersione saluare. Quid enim aliud pro inimicis suis orandum est, nisi hoc quod ait Apostolus: ut det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, & respiciant a diaboli laqueis, a quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem? Et quomodo pro illis tunc orabitur, qui iam nullatenus possunt ad iustitiae opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus aeterno igne damnatis, quae nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo, angelisque eius aeterno supplicio deputatis. Quae nunc etiam causa est ut non orent sancti homines, pro hominibus in fidelibus impiisque defunctis: nisi quia de eis quos, utique deputatos aeterno supplicio iam nouerint, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suae meritum cassari refugiunt? Quod si nunc quoque uiuentes iusti, mortuis & damnatis iniustis minimè cōpatiuntur, quando adhuc aliquid iudicabile de sua carne sese perpeti etiam ipsi nouerint: quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitae corruptione exuti, ipsi iam iustitiae vicinias atque arctius inhaerebunt? Sic quippe eorum mentes, per hoc quod iustissimo iudici inheret, ius districti iudicis absorbet, ut omnino eis non libeat, quicquid ab illius aeternae regula subtilitate discordat.

*Quod duobus modis vita dicatur, duobus etiam mors intelligatur. Cap. LXXII.*

*Ex eodē.  
Petr. int.*

**N**on est iam quod responderi debeat aperta rationi: sed haec nunc quaestio mentem mouet, quomodo anima im-